

«cant aquae reptile animae viuientis, et volatile super terram sub fir-
 »mamento Coeli; creauitque Deus cete grandia», cet. Haec autem
 producta a Deo fuisse non per veri nominis creationem; quae produ-
 ctio ex nihilo dicitur, sed per formationem ex materie intelligen-
 dum est: ita vt sit verborum Mosis sensus, Deum suo imperio aquas foc-
 cundasse ad ista producenda. Atque haec est Magni Augustini de dupli-
 ci animalium creatione sublimis sententia. Sed paulo adcuratius hic ex-
 pendendum venit, quid *cete grandium* nomine intelligatur: Hebraei si-
 quidem in Talmude habent, Deum in primordiis mundi duas immensae
 mollis Balacnas condidisse, cum quarum vna inequitans ludit quotidie
 animi relaxandi caussa, alteram vero caesam, ac sale conditam conser-
 uat, vt, Messia sub mundi fine veniente, iustus omnibus solempne
 conuiuium ex ea paret. Ast fabulosa ista sunt, et sultissima commen-
 ta. Nec per *cete grandia* alii oportet intelligere quam pisces ma-
 ximos, Balaenas nempe, atque hypopotamos, quos in mari gigni-
 compertum omnibus est. Quin tamen inde de magnitudine illarum
 cum Plinio conueniamus, homine inquam fabularum amatore, quo
 nomine eum Eruditi iam pridem vocare consueuerunt. De cetero
 animalia omnia, et quae reptant, vt angues, et quae adnatant, vt
 pisces, et quae volitant, vt aues ex aquis producta dicimus, vel
 quatenus in prima caussalium rationum conditione ex eis sint facta,
 vel terram vniuersaliter sic adpellatam cum aquis opinantes, vt Au-
 gustinus loquitur (27). Hinc illorum opinio ortum habuisse iudica-
 mus, qui existimauere quadragesimali etiam tempore haud esse ve-
 titum quarundam volucrum esum: quae fuit etiam veterum plu-
 rium Monachorum sententia, vti memorat Concilium Aquisgranen-
 se II. (28).

1 P. 9. 72.
 com. N. vico.

Sextae diei opera verbis his Moses comprehendit: «dixit quo-
 »que Deus: producat terra animam viuentem in genere suo, iu-
 »menta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas, cet. . .
 »Et vidit Deus quod esset bonum, et ait, faciam hominem», cet.
 Terrestrialium animalium primo loco productionem refert Moses, quae
 sane non aliter ac praecedentium duplex est, in semine scilicet, et
 in specie visibili: vocat autem illa animam viuentem, quo eorum
 prae aliis perfectiorem vitae gradum designet: perfectiora enim ter-
 restria sunt auiibus et piscibus, vt loquitur S. Thomas (29). Per iu-
 men-

(27) Lib. IX. de Genes. ad lit.
 cap. 1. (28) Cap. LXXXVIII.

(29) Prima Parte, quaest. LXXXII. art.
 tic. vnicio ad 1.

menta vero, vel pecora domestica, animalia intelliguntur quae nos
 adiuuant; per bestias animalia sacra, vt vrsi et leones, ac genera-
 tim animalia omnia; tandem per reptilia quae vel non habent pedes,
 quibus a terra eleuentur, vt serpentes, vel tales habent, quibus pa-
 rum eleuentur, vt lacertae et formicae.

Pergit iis descriptis, Sacer Scriptor ad hominis formationem de-
 scribendam, quam nos suo loco, et occasione nacta dabimus expres-
 sam: quare a labore hoc modo abstinemus, ac breui huic com-
 mentariolo finem ponimus, aliorum pertractationem Interpretibus re-
 linquentes.

LIBER II.

De Angelorum natura et perfectionibus disputat.

Angelos a Deo fuisse prima creationis die productos vna cum ad-
 spectabili hoc vniuerso, atque lucis nomine a Mose in Genesi descri-
 ptos Patrum Latinorum facile Princeps Augustinus auctor est (1):
 quam sententiam, absque praediuicio tamen oppositae, quae Grego-
 rii Nazianzeni, aliorumque Graecorum auctoritate fulcitur, praefe-
 rendam docet S. Thomas (2). Illorum ergo, quos Magistros ac vi-
 tae Doctores habuimus in terris, ductum sequentes, de Angelorum
 natura, ac proprietatibus, velut de primaeuo, et perfectiori creatio-
 nis opere hoc loco disserere consulto decreuimus, atque exequimur.

CAPVT I.

Angelos esse multiplici argumento euincitur.

Existunt Angeli.

Ita suadent Scripturarum testimonia. Geneseos enim cap. xvi. legi-
 mus, Angelum Domini adparuisse Agar ancillae Sarai, vt ei persua-
 deret vt ad Dominam suam reuertetur. Cap. item xix. duos An-
 D 2
 go-

(1) Lib. II. de Ciuit. Dei, cap. 33.
 circa finem.

(2) Prima Parte, quaest. LXXI. art. 3.
 in corp.

gelos venisse Sodomam, vnde Loth cum filiabus et vxore eduxit. Cap. demum xxiv. Abraham dixisse seniori familiae suae: »mittere Dominum Angelum suum coram te«. Deinde Deuteronomii xxxiii. habetur Angelorum millia cum Deo in Sina adparuisse. In Psalm. etiam cii. dicitur: »benedicite Dominum omnes Angeli eius, potentes virtute«, ceter. Apud Matth. deinde cap. xviii. habetur: »Angeli eorum semper vident faciem Patris«. Lucae i. »Misus est Angelus Gabriel a Deo«. i. Petri cap. i. »In quem desiderant Angeli prospicere«. Quae, aliaque plurima nequeunt de sola Dei potentia, aut de spectris intelligi, quemadmodum Sadducaei visum est, vt capite sequenti monstrabimus, eorum argumenta soluentes, sed Angelorum existentiam commonstrant.

Scripturae consentiunt omnes Patres, quos inter Augustinus sic habet (1): »Angelos esse nouimus ex fide: et multis adparuisse scriptum legimus, et tenemus; nec inde dubitare fas nobis est«, Concilium item Lateranense sub Innocentio III. celebratum, cap. Firmiter definiuit, vtramque creaturam spiritualem et angelicam a Deo productam.

Accedit communis hominum sensus. Plato enim non semel in Timaeo Angelorum meminit, quos iam daemones, iam Deos adpellat. Thales Milesius diuidit superiores substantias in Deum ac daemones, vt Athenagoras testatur (2). De Angelis loquutus fuit Hostanes Magorum antiquissimus, vt Tertullianus scribit (3). Aristotelem Angelos admisisse memorat Rabbi Maimonides (4). Atque ex antiquioribus haereticis fuere Simon, Menander, Saturninus, Cerinthus, alique, qui Angelos existere crediderunt, eis tamen superstitiosum detulerunt honorem, iudicantes esse coelestia quaedam numina, a quibus res omnes adspectabiles procedebant.

COROLLARIUM.

Certa tamen naturali demonstratione nequit Angelorum existentia probari. Neque enim habent Angeli necessariam aliquam causam, ex cuius positione eorum existentia ponatur, sed omnino liberam, Dei nempe voluntatem, quae pro lubito creaturas omnes produxit: neque effectus rerum corporearum vim supergredientes necessario ipsis adtribui petunt, quum habere et illi possint pro causa Deum

(1) In Psalm. cii.
(2) In Oratione pro Christianis.

(3) In Lib. de Idol. vanit.
(4) Lib. ii.

ipsum, siue animam rationalem a corpore separatam, siue naturam aliam, aut facultatem praestantiorum. Nec denique idea aliqua, vel Dei illa sit, vel rerum creaturarum extare Angelos euincit: Deus siquidem non percipitur necessario velut conditor creaturarum, sed vnice tamquam principium pro suo lubito eas producus, aut in nihilum redigens: actualis item res creata certam existentiae perceptionem haud excitat.

Neque in contrarium facit quod plurimi Philosophorum, lumine fidei destituti, Angelos esse, naturali suae mentis acumine intellexerunt: quod naturaliter constet Coelos moueri, idque ab intelligentia, quae Angelus est; quod quum vniuersum perfectum a Deo conditum sit, incorpoream creaturam continere absurdum debeat.

Horum enim primum ex eo reuincitur, quod illi Philosophi a Iudaeis plura acceperunt viua voce; quin et eorum nonnulli hebraicam linguam callere poterant, et libros sacros perlegere.

Secundum vero non adeo certo Angelorum existentiam subinfert, vt non possit non esse illatio falsa: motus etenim coelorum, qui ab Angelis efficitur, a Deo principium habuit, tamquam ab omnium rerum causa; potuit ergo ipse Deus, qui a principio coelum mouit, absque Intelligentia motum in coelis seruare.

In tertio soluendo distinguendum est inter perfectionem relatiuam, vt vocant, et absolutam. Priorem quidem perfectionem, quae nempe aliud non est ac ordo ad primam causam, Deus vniuerso necessario tribuit; omnia enim propter se ipsum operatus est Deus: perfectionem vero absolutam rebus singulis, prout ei lubet, elargitur, creans aut corpus, aut animam, aut spiritum, quorum natura hoc vnice expostulat vt possint produci, non vt reapse producantur. Non itaque ex perfecta mundi conditione, Angelorum existentia naturali ac certa demonstratione colligitur.

CAPVT II.

Error Sadducaeorum confutatur.

Ex celebrioribus Iudaeorum Sectis fuit vna, quae Sadducaeorum nomine designatur. Horum dogmata recenset Iosephus tum in lib. de Bellico Iudaico, tum de antiquitatibus agens: praecipue errarunt ii Angelos

negantes, etsi diuinarum Scripturarum auctoritatem admitterent. Quae autem fronte id fecerint, quum adeo frequens in Mosis libris Angelorum mentio fiat, momentorum, quibus errorem hunc suum fulciebant, solutio declarabit.

Argumentabantur ergo I: Moses, quum huius mundi describeret primordia, ceterorum quae Deus fecit, mentionem habet, Angelorum nullam: reipsa igitur non sunt Angeli. II: Angeli nomen institutum dumtaxat ad officium significandum nouimus, neque transferri ad designandam naturam aliquam infra Deum, ceteris quidem excellentiorem, potest: ergo non sunt res aliqua vere subsistens. Demum: et ipsos homines interdum in sacris litteris Angelos vocatos nouimus: igitur nomen istud minime incorporarum substantiarum proprium est.

Inania tamen haec sunt. Ac primum sic soluitur: Mosis consilium fuit in mundi historia adornanda, corporearum rerum seriem et productionem narrare: hinc noluit expresse Angelorum mentionem facere; praesertim quum populis ad idolatriam procliuius periculosum esset creaturas eiusmodi proponere. Moses ergo id fecit, quod optimo consilio erat faciendum. Insinuauit primo Dei rerum omnium conditoris diuinitatem; dein Angelos, velut Dei ministros, sua narratione complexus est; ita tamen vt eorum a Creatore diuersitas, ac dependentia ex ipsis illorum characteribus intelligeretur. Atque, vt Augustinus docet, nomine lucis eos in Genesi comprehendit; quemadmodum alibi obseruabamus.

Pro secundo soluendo, haud probamus quorundam opinionem, qui tenent Angelorum nomen apud Hebraeos naturam significare: falsa enim omnino, ac Hebraeorum linguae peritis irrecta opinatio eiusmodi videtur. Ergo dicendum iudicamus, nomen Angeli esse quidem nomen officii, atque naturam illam subsistentem et spiritualem ex sese non significare; sed officiorum nomina quandoque illos, qui ea exercent, significare negabit nullus. Hoc pacto de hominibus recte dicitur, *Rex, Miles, Orator, Philosophus*, cetera: quum itaque quae Angelis tribuuntur officia, a rebus quidem, seu naturis subsistentibus exercentur, rectissime officiorum nominibus Angelorum naturam expressam nouimus.

Ex vltimo, quod obieciatur nihil concludi opinamur: fatemur ideo hominibus quoque Angelorum nomen tribui; sed in adducto Gen. loco non ita legitur, siue Codicem Hebraeorum, siue

Vul-

Vulgatam nostram consulamus. Sint ergo vocabula multa ex etymologia pluribus communia; ad rem tamen certam significandam bene sapienterque determinantur: id vero in Angelis quibus iure quodam particulari hominibus diuinam enunciare ordinationem conuenit, contigisse arbitramur, vt ipsis tale nomen tamquam sibi proprium applicaretur.

CAPVT III.

Quandam Angeli creati sint ex instituto discutitur. Lateranensis Synodus explicatur. De loco etiam in quo creati sunt probabiliter disseritur.

18. Est probabilior sententia tenens, Angelos vna cum Mundo visibili fuisse creatos; non tamen certa certitudine fidei catholicae.
19. Probabilior etiam illa est, quae eos in Empyreo creatos existimat; sed neque haec ad fidem spectat.

Primum propositionem, quae Angelorum vna cum corporeis rebus creationem defendit, alibi velut in transcurso, nobis adridere, vel ex hoc praecipue quod Augustinum sortita sit Patronum, non obscure significauimus. Nunc vero data opera eam maiorem prae opposita probabilitatem habere Scriptura, Patrum testimonio, et ratione ipsa euincere pergitur.

Atque a Sacris litteris initium capientes, illud Genes. 1. in medium adducimus. «In principio creauit Deus Coelum et Terram». Illud etiam Exod. xx. «Sex diebus fecit Deus Coelum et Terram, et omnia quae in eis sunt». Quae quidem testimonia ita communitate explicantur, vt nihil ante, Deum creauisse intelligatur.

Ex Patribus deinde plurimi hanc opinionem probant. Epiphanius sic loquitur Haeresi LXV. (1): «illud . . . euidenter diuinus sermo declarat, neque post sydera productos Angelos, neque ante coelum terramque constitutos». Quod quidem hac ratione exponit: «quoniam (inquit) in principio creauit Deus Coelum et Terram,

» vt

»vt illud sit creandi principium, ante quod creatis ex rebus omnino
 »nulla fuerit«. Basilii Seleuciensis (2) Angelos Coeli et Terrae crea-
 »tione posteriores facit, additque, idcirco Deum nulla voce vsum
 »esse in coeli terraeque molitione, quod nullus tunc esset qui vocem
 »illam perciperet: loquuntur tamen in singulorum dierum operibus
 »producentis, vt ad eorum quae fiebant admirationem Angelos vo-
 »carent. Augustinus quoque, qui dubius videtur, et vtrimque dispu-
 »tare, Lib. xxii. contra Faustum (3), primo die ipsos factos lucis no-
 »mine putat. Expressius tamen Lib. v. de Genesi ad litteram (4), et
 »in lib. imperfecto de Gen. (5) vbi exponens verba illa: *Fiat lux*,
 »ait: »alia est lux de Deo nata, et alia lux quam fecit Deus: na-
 »ta de Deo lux est ipsa Dei sapientia, facta vero lux est quae-
 »libet mutabilis siue corporea, siue incorporea«. Et in Lib. xi. de
 »Ciuit. Dei (6): »in principio (ait) creauit Deus Coelum et Ter-
 »ram: quibus nominibus vniuersalis est significata creatura, vel spi-
 »ritalis, et corporalis, quod est creditibilis; vel magnae duae mun-
 »di partes, quibus omnia quae creata sunt, continentur«. Similia
 »habet Gregor. Magnus (7), Auctor commentariorum in Psalmos,
 »quae inter opera Hieronymi ponuntur (8), Hugo Victorinus (9),
 »aliique.

Ratio etiam ipsa suffragatur: nam vel Angeli creati sunt ante
 »hunc mundum corporeum per multa quidem saecula, vel paruo tem-
 »poris intervallo ante illum: si primum dicatur, rursus interroga-
 »re placet, aut peccauerant initio ipso, aut in iustitia aliquando
 »permanserunt? Non autem peccasse ab initio constat, quippe cer-
 »ta argumenta demonstrant, ipsos post peccatum inferno fuisse des-
 »tinatos, siue locus ille fuerit aer caliginosus, siue terra: sed nec
 »terra tunc erat, nec aer: relinquitur ergo, eos aliquando perse-
 »nerasse, atque mundo iam condito in peccatum cecidisse. Ver-
 »um et hoc improbabile est: sequeretur siquidem ipsos vna cum An-
 »gelis Sanctis in gratia fuisse confirmatos, quod haud cogitari qui-
 »dem potest. Id ergo adserere cogimur, quod omne omnino Graeco-
 »rum argumentum labefactat; nempe Angelos paulo ante corporas
 »res fuisse productos: Graeci enim inter creationem Angelorum, et
 »mundi, infinita propemodum ponunt spatia. Probabilius igitur videtur,
 »nec

- (2) Orat. I.
 (3) Cap. x.
 (4) Cap. xix.
 (5) Cap. v. num. 20.

- (6) Cap. xxxiii.
 (7) Lib. xxviii. Moralium cap. 14.
 (8) In Psalm. cxxvii.
 (9) Tract. II. Sum. Sent.

nec maximo, neque breui temporis intervallo Angelorum creationem
 »rerum corporearum productionem praecessisse.

»Sed vt ad alteram propositionis partem descendamus, id declara-
 »re pergimus, minime ad fidem pertinere hanc, quam amplectimur
 »sententiam. Augustinus enim lib. vnico de Genes. ad litt. (10) vbi
 »quaestionem in vtramque partem mouet, ait deinde: »sed quoquo
 »modo hoc se habeat, res enim secretissima est, in humanis con-
 »iunctis impenetrabilis; illud certe accipiendum est in fide, etiam-
 »si modum nostrae cogitationis excedit, omnem creaturam habere
 »initium, tempusque ipsum esse creaturam«. Theodoretus etiam, li-
 »cet ille expresse neget, Angelos ante mundum fuisse conditos, ad-
 »firmat tamen, nihil contra fidem tenere eum qui contrarium dixerit.
 »In eadem sunt sententia Magister (11), et Hugo Victorinus (12). At-
 »que quod plus ad rem facere iudicamus, S. Thomas, qui post Con-
 »cilium IV. Lateranense floruit haec scribit (13): »non est igitur pro-
 »babile, vt Deus, cuius perfecta sunt opera, vt dicitur Deutero-
 »nomii xxxii. 4. creaturam Angelicam seorsum ante alias creaturas
 »creauerit; quamuis contrarium non sit reputandum erroneum, prae-
 »cipue propter sententiam Greg. Nazianzeni, cuius tanta est in do-
 »ctrina christiana auctoritas, vt nullus vnquam eius dictis ca-
 »lumniam inferre praesumpserit, sicut nec Athanasii documentis,
 »vt Hieronymus dicit«. Oblitus autem huius Decretalis S. Doctor
 »fuerat? Minime. Sciens, prudensque scripsit, quum in Decretalem
 »illam selectissimos iam commentarios edidisset. Hoc ergo sentiendum,
 »nihil cum Origeniano errore Graecorum Patrum sententiam habuisse
 »commune, atque aduersus errorem istum tantum Lateranensis Sy-
 »nodi decretum promulgatum fuisse. Duo enim ille adserbat: et sub-
 »stantias spirituales primum a Deo productas, et ab his res corporeas
 »conditas, illasque post culpam in corpora aërea, tamquam in carce-
 »rem fuisse detrusas. Qui itaque teneat Deum esse vniuersae creatu-
 »rae auctorem, nullamque ex his vel ab Angelo, vel ab homine pro-
 »creatum dicat, liber ille, atque immunis a Concilii Lateranensis
 »damnatione erit. Nonne autem Nazianzenus, Casianus, ceterique
 »ex Graecis Patribus huic Origenis errori contrarii sunt, ac Deum
 »solum creaturas omnes condidisse vbiq; profiterentur?

»Sed hic locus Concilii, nempe, »Deus simul initio temporis
 »Tom. II. E »vtramque

- (10) Cap. III.
 (11) Lib. II. Sent. dist. 2.

- (12) Cap. v. Annot. in Gen.
 (13) Prima Parte, quaest. xli. art. 3.

»vtramque de nihilo condidit creaturam, Angelicam videlicet, et mundanam«, multiplici sensu explicari deinde potest. Primo quidem dicendo particulam *simul* non de similitate physica, quae indiuisibile instans significat, intelligi, sed de morali, vt aiunt, similitate, ea ferme ratione, qua plerumque simul facta dicantur quae ipso die, immo et eodem anno facta sunt: et hoc sensu id vnum significat, Deum creaturam vtramque pariter condidisse. Quam vtique interpretationem et definitio Lateranensis, et damnata haeresis admittunt. Dicamus tamen secundo, illam particulam physicam simultatem exprimeret, atque sic a Patribus Lateranensibus fuisse intellectam, vt ea significare voluerint, Angelos ab initio temporis *simul* physice cum rebus visibilibus condidisse. Quid autem inde? Pro fidei catholicae articulo habendum erit quod ibi decernitur? Non haec fuit Synodi intentio (ait Estius), sed probabiliorum tantum opinionem proponere. Quin vt solidissime Bertius adnotat (14), sanctarum Synodorum Patres duas exploratissimas regulas in fidei definitionibus tenere solent, Traditionem et Scripturam diuinam. Ast in hac de qua agimus definitione nihil eis Traditio deseruire potuit, quum contrarium senserint ex Graecis fere omnes, vt infra videbimus, et ex Latinis nonnulli; neque ex Scripturis aliquid praesidii desumere poterunt, quum earum textus ad controuersiam dirimendam non sint satis; quippe qui non incongrue ab opinionis contrariae adsertoribus explicari soleant, ac solui. Verum de his dictum satis.

Secundam propositionem, qua parte adserit esse probabiliorum sententiam propugnantem Angelorum creationem in Coelo Empyreo, suaderi existimant aliqui et Scripturarum auctoritate, et ratione. Adducunt ergo I. Isaiae textum cap. xiv. nempe: »quomodo cecidisti de Coelo Lucifer, qui mane oriebaris? II. Verba illa Lucae x. »Videbam Satanam sicut fulgur de Coelo cadentem«. III. Apocalypsis locum ex cap. xii. desumptum: »factum est praelium magnum in Coelo«, cet.

Adducunt deinde rationem his terminis expressam. Conueniens scilicet fuit, vt nobiliores Vniuersi partes in nobiliore loco crearentur: at certum exploratumque est Angelos nobiliores Vniuersi huius partes esse: in Empyreo ergo creati debuerunt: atque illo quidem fine et consilio, vt tenet ratio S. Thomae, vt eorum aliquis ad corpora ordo esset, ac toti naturae corporeae praesiderent.

Du-

(14) De Theolog. Discip. Lib. x. cap. vi. Prop. 2.

Duplicem hanc argumentandi viam carpit Bertius (15), et quae S. Thomas ad Augustini auctoritatem responsa dedit nec certa, nec solida esse dicit. Condonabit nobis Auctor, alias gratissimus, vt ipsius consilium, et operam deseramus, atque S. Thomae partes sequamur. Quid ergo? Augustinum contrarium (quod nobis execrabile perpetuo visum est) modo non erubescimus? Neutiquam. Sed qua illum studiosissimus discipulus Thomas prosequutus est reuerentia, ipsius testimonia exponens, vel de aëris suprema regione, quatenus idem cum Empyreo est, vel de Angelis illis tantum, qui peccauerunt, ac ceciderunt, quos ordinis inferioris esse nonnulli existimant; et nos prosequimur. Nec enim librata omnino ea sunt, quae Bertius laudatus reponit: quum non secum animo reputauerit ille primum D. Thomae responsum dubitanter solum ab ipso traditum, alterum vero ex aliorum sententia. Neque illud animaduertit, latum ab Augustino ipso indicium de suis super Genesim ad litteram Libris (16), vbi scripsit: »plura in eis quaesita, quam inuenta, et eorum quae inuenta sunt, pauciora firmata«.

Quibus tandem recte animaduersis, liquido consequitur, probabiliorum esse de re hac Thomisticam sententiam, quae illa est, quam Theologi et Bibliorum Interpretes communiter sequuntur. De cetero illam ad fidem non pertinere, nec vltra opinionis fines excurrere aequae nobis exploratum est. Praecipue quum in Scripturis nec apex quidem loci huiusmodi sit, nec testimonium aliquod, ex quo in vtramque partem non liceat disputare: Patres deinde non nisi dubitanter loquuti sint, et inter se mutuo dissentientes.

CAPVT IV.

Quae contra adductas opiniones obiciuntur argumenta soluit.

Aduersus eam quae primo loco posita fuit, sententiam opponunt nobis, qui ex opposito opinantur Theologi, antiquissimorum Patrum, Graecorum potissimum auctoritatem. Principio quidem, aiunt, Graecus quidam Scriptor in vetusto codice, qui varii argumenti tractatus continet (1), de Angelis scribit: »omnem propemodum per or-

E 2

»bem

(15) De Theolog. Discip. Lib. x. cap. 6. Prop. 3.

(16) In Lib. Retract. (1) Apud Petau. de Ang. lib. i. c. 15.

»bem Ecclesiae magistri intelligibilem omnem et angelicam naturam
 »ex nihilo ante hunc mundum exitisse docent«. Basilius deinde sic
 loquitur (2): »erat enim, vt adparet, aliquid etiam ante hoc Vni-
 »uersum, quod mente quidem nostra contemplari possumus; non est
 »tamen litteris vllis proditum, quod rudibus, et cognitione adluc
 »infantibus nequaquam congruere videbatur«, cet. Chrysostomus
 etiam verba illa Geneseos declarans: *faciamus hominem ad ima-*
ginem, cet. ait; »Angelos ante Coelum esse productos«. Et ad
 »Stagirium scribens (3), »fecit (inquit) Angelos, Archangelos, ce-
 »terasque incorporeas substantias. Fecit autem nullius alterius gra-
 »tia, sed bonitatis solius. . . Post horum procreationem, etiam ho-
 »minem fecit, ob eandem ipsam causam, necnon totum hunc mun-
 »dum«. Damascenus tandem (vt ceteros mittamus) haec habet (4):
 »fecit primum (Deus) intelligentes, coelestesque virtutes, deinde vi-
 »sibilem, et sensibilem mundum; tum ex intelligente et sensibili ho-
 »minem«. Sed in hanc Graecorum sententiam abierunt quoque &
 Latinis plurimi. Ambrosius prae primis quaestionem videtur definire
 scribens (5): »Angeli, Dominationes, et Potestates, etsi aliquando
 »coeperunt, erant tamen iam quando hic mundus est factus«. Et ali-
 »bi (6): »ante ipsum initium mundi Cherubim, et Seraphim cum sua-
 »uitate canorae vocis suae dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus«. Am-
 »brosio subscribit Hilarius dicens (7): »quid enim magnum est vt
 »ante terram Deus Dominum Christum genuerit, cum Angelorum
 »origo terrae creatione reperiatur antiquior? Hieronymus similiter
 vbi dicit (8): »sex millia necdum nostri orbis implentur anni, et
 »quantas prius aeternitates, quanta tempora fuisse arbitrandum est,
 »in quibus Angeli, Throni, Dominationes, ceteraque virtutes ser-
 »uierint Deo, et absque temporum vicibus atque mensuris Deo in-
 »bente: substitierint? Hieronymo adhaeret Beda (9), dicens: »An-
 »geli ante creationem mundi creati sunt«.

Haec tamen, ceteraque quae ex Patribus adduci possent testi-
 monia, vna eademque responsione soluuntur. Equidem fatemur modo,
 hanc fuisse illorum Patrum sententiam: at ex eisdem Patribus et
 Graecis et Latinis numero plures fuisse, qui in contrariam abierunt

ne-

(2) Homil. 1. in Hexameron.
 (3) Lib. 1.
 (4) In Lib. 1v. cap. 14.
 (5) Lib. 1. in Hexam. cap. 5.

(6) In Praefat. in Psalm.
 (7) In Lib. xii.
 (8) In 1. cap. Epist. ad Titum.
 (9) In Lib. Quaest. q. ix.

nemo vnus nescit, qui vel a limine hanc controuersiam salutauerit;
 atque hi quidem sunt, qui non incidenter (sic enim dicunt) quem-
 admodum multi in argumento laudati, sed data opera, de hoc tra-
 ctarunt. Argumentum autem ex iis desumptum maiorem habeat pro-
 babilitatem oportet.

Verum in eo Patrum numero Basilius recensere haud patiemur.
 Quae enim laudantur verba vere de Deo ipso exponi possunt, adeo
 vt Basilius Dei ipsius Verbum intellexerit rei illius nomine, quam
 ante mundum exitisse scribit: ait siquidem: »erat quidam mundi
 »productione status antiquior, sempiternus, perpetuus«.

De Ioanne Chrysostomo id ipsum iudicamus. Haec enim illius
 verba: *nec non totum hunc mundum*, perperam referuntur ad ista:
post horum creationem, sed ad haec alia: *Bonitatis illius*: ita
 vt sensus sit, Deum hunc mundum visibilem nullius alterius gra-
 tia produxisse, sed suae tantum bonitatis causa.

Neque contra solutionem istam facit, quod reponunt, scilicet
 S. Thomam docere, omnes Patres Graecos adserere Angelorum crea-
 tionem, creationem Vniuersi praecessisse, dum inquit (10): »ad pri-
 »mum ergo dicendum, quod Hieronymus loquitur secundum senten-
 »tiam dactorum Graecorum, qui omnes hoc concorditer sentiunt,
 »quod Angeli sunt ante mundum corporeum creati«. Hoc siquidem
 Angelici Doctoris dictum cum certis exceptiōibus, et non vniuer-
 saliter esse intelligendum, ex iis quae in nostrae propositionis proba-
 tionem prolata sunt, intelligitur: euident quum sit Epiphanius, Theo-
 doretum aliosque Graecos, quos Estius laudat, clare docuisse Ange-
 los neutiquam ante mundi huius creationem exitisse.

Neque firmiter deinde est quod a ratione ipsa praesidium quae-
 runt. Aiunt: quum Sapientis sit opus quodcumque suum ordinate
 perficere, rationi congruentissimum videretur, Sapientissimum Deum
 Angelos suos, quorum est dignitas reliquis omnibus longe sublimior,
 seorsim ante res creatas condidisse. Deinde: quid opus fuit res
 adeo dissimiles, ac disparatas in creatione adunare? Accedit quod
 quum Angeli quid sint medium Deum inter et res corporeas; Deus
 vero ex aeternitate sit, mundus a tempore esse coeperit, coepisse
 illos paullo post aeternitatem, diu tamen ante temporis initium, quod
 simul cum hoc mundo creatum est, maxime credibile videretur. Pos-
 tremo: quae Monachus Casianus scripsit hanc ipsam opinionem con-
 fir-

(10) Prima Parte, quaeest. lxxi. artic. 4.

firmant (11). »Nec enim (ait) existimare debemus, Deum creationis principia ab huius mundi constitutione inchoasse, quasi in illis anterioribus, et innumeris sacculis ab omni providentia et dispositione ne fuerit otiosus, solitarius, atque ab omni munificentia alienus, quod de immensa, et incomprehensibili maiestate incongruum est sentire«. Argumentatur dein ex illo Job xxxviii. : »quando facta sunt simul sydera, laudauerunt me omnes Angeli mei voce magna«, extasse ante mundi huius exordia Angelos.

At haec quoque facili negotio soluuntur ex S. Thomae doctrina (12). Primum siquidem ex eo, quod quum a Deo creata sint omnia vt vnus Vniuersi partes, decuit simul creari ad vnum Vniuersum constituendum : quod si non hac lege ea creasset, sed absque villo inter se ordine, et absolute (ut aiunt), decuisset absurdio singula separatim creari secundum gradum perfectionis suae; Angelos proinde ante corporea omnia. Secundo occurritur dicendo : secundum Vniuersi ordinem neutiquam dissimiles esse res a Deo productas, disparatae licet sint secundum propriam earum naturam : Angeli itaque quo pacto Vniuersi partes sunt, confluantque cum rebus corporeis ad vnum idemque totum constituendum ; similitudinem, ac proportionem cum eisdem habent, et opportune cum illis creari sunt.

Tertium multum peccat : ponit enim Deum mundi partem, quod absurdissimum est, quum infinite supra mundum sit locatus, velut summum eiusdem principium, vltimusque finis, perfectionem totius Vniuersi in se cumulatissime continens : falso igitur ex quo Deus ex ipsa aeternitate sit, pro Angelis concluditur, debuisse ante alia creari, licet sint illi quid medium Deum inter et homines ; mediant enim vt mundi ipsius partes.

Quod tandem ex Casiano adducitur, plus forte infert, quam velit ipse, et fides rectaque ratio permittit. Nam si quid haec probant, probant certe, nedum Angelos, verum et cetera quaeque ex aeternitate creari oportuisse, ne scilicet Deus otiosus, ac solitarius diceretur, quae fuit Ethnicorum argumentatio pro mundi aeternitate adserenda. Ineptissima isthaec sunt. Deus etenim Opt. Max. cuius sempiterna, et naturalis actio in sui perfectissima cognitione, et suavissima dilectione consistit, etiam nullis creaturis siue spiritualibus, siue corporeis existentibus, numquam otiosus esse potuit. Sed nec

504

(11) Collat. ix. cap. 7. (12) Loco supra laudato.

solitarius; quippe in vnitae essentiae personarum trinitatem habens. Quod si in Deo vna tantum foret persona, etiamsi innumeros ille creasset mundos, profecto solus haberetur : vt enim qui solus in horro deambulat (adducit hanc similitudinem S. Thomas) quamuis ibi plantae, herbae, fontes, ac varia generis animalia sint, solitarius vere est, et dicitur, quod haec omnia diuersae ab eo sint naturae, sic, etsi Deus infinita rerum genera creasset vere solitarius diceretur, nisi plures in eo essent eiusdem naturae personae.

Iam vero ad ea quae contra secundam adseritionem facere videntur argumenta diluenda veniamus. Paucula haec sunt. Primum : non fuere creati Angeli in loco illo, ad quem mali Angeli ascendere ambierunt ; at ambierunt ascendere ad Coelum Empyreum : legimus enim apud Isaiam (13) : »in Coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum« : non ergo in Empyreo producti sunt. Secundum : nihil externum in Empyreo Angeli operati sunt ; sed spirituales substantiae non sunt in loco nisi per suam operationem : igitur non sunt in Empyreo creati.

Quibus respondemus : primo quidem, verba, quae ex Isaiam laudata sunt, non esse Angelorum, sed Babyloniorum Regis, cui ob ingentem superbiam modus ille loquendi tribuitur. Sed demus, Angelorum verba esse ; illa, »non de aliquo coelo corporeo, sed de coelo Sanctissimae Trinitatis, in quod Angelus peccans ascendere« voluit, dum voluit aliquo modo Deo equiparari, intelligenda esse docet S. Thomas (14). Ad secundum dicendum : Angelos in primo suae creationis instanti ad Coeli Empyreii ornatum concurrisse : nescimus tamen quid ad illum contulerint, quemadmodum et nescimus Coeli Empyreii naturam. Aliorum opinio est, lucem qua Empyreum fulget Angelos produxisse, quum S. Thomas doceat (15) : quod »Angelus est in loco in quantum operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel lumen, vel aliud huiusmodi«. Vtque rum de hoc inferius erit sermo.

COROLLARIA.

Duo itaque certa ex his quae probabiliter hucusque disputabamus,

(11) Cap. xiv.

(14) Prima Parte, quaest. lxxiii. artic. 4. ad 3.

(15) Prim. Sent. dist. 37. quaest. 111. sic. 1.

mus, colligimus. Primum quidem, hoc vnum esse de fide, Angelos scilicet, a Deo fuisse creatos. Hoc Christiana Religio profitetur, et Scripturarum testimonio, et Conciliorum auctoritate innixa. De Verbo enim loquens Ioann. sui Euangelii cap. 1. »Omnia, inquit, per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil«. Et Paulus in Epist. ad Coloss. cap. etiam 1. de Christo dicit: »in ipso condita sunt vniuersa in coelis et in terra, visibilia, et inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, et in ipso creata sunt«. Concilium dein Lateranense IV. (16) definit: »sua omnipotenti virtute Deus simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, et corporalem, angelicam videlicet, et humanam«. Ratio quoque id suadet: quum enim Angeli omnino spirituales sint; et spiritus spiritum per externam generationem non possit generare; haud potuerit sic ab aliis alii esse accipere. Sed nec per internam generationem id fieri potuit, quum solus Deus Pater taliter generare sit potens. Neque tandem a se ipsis esse accipere potuerunt: nisi hilum siquidem nihil potest agere.

Rationem excipit auctoritas Philosophorum, maxime Platoniorum, quorum Princeps ponit (17), minores Deos a summo fuisse conditos, ab hisque factos deinceps, ac perpolitata reliqua.

Secundum quod colligimus huiusmodi est: has de tempore et loco creationis Angelorum quaestiones inter adiaphoras esse numerandas: vnde immature nimis iudicauit Velliosillus (18), et scholastici nonnulli post Ferrariensem, a Synodo Lateranensi scriptam fuisse opinionem, quae Angelos ante corporeum mundum exstitisse adserit. Improbant iudicium illud Genebrardus, Estius, Petauus, et qui ante omnes alios numerandus erat D. Thomas (19).

(16) Cap. I. (17) In Timaeo.
(18) In Aduert. ad Tom. IX. Hiero-

nym. quaest. XXXIII.
(19) Quaest. LXL. art. 3.

CA-

CAPVT V.

Quales facti sint Angeli in donis quae supra naturam sunt, explicatur.

20. Angeli creati sunt in statu gratiae sanctificantis; habuerunt etiam in prima sui conditione actualem gratiam. *1. P. 62. am. 3. et 2.*
22. Creati sunt quoque beati beatitudine naturali; neutriquam vero beatitudine supernaturali, saltem consummata. *ibid. aut. 1.*

Patrum communem sententiam dicere haud dubitabimus, quam primae propositionis pars prima exhibet; atque vel hoc solo nomine sibi opposita probabiliorem. Censet enim sic Basilius (1), vbi de Spiritu Sancto disputans illum non eiusdem cum Angelis esse naturae his verbis conuincit: »at neque mutabilem illius substantiam vnuquam audebis dicere, si ad naturam respicias contrariae virtutis, quae sicut fulgur cecidit de Coelo, atque a vera vita excidit; propterea quod aduersam virtutem habuit, et malam vitam consequuta mutatio est. Itaque quum ab vnitatem recessisset, et Angelicam dignitatem abiicisset, Diabolus a moribus adpellatus est, postquam prior ille, ac beatus habitus extinctus est, et huic opposita vis accensa«. Eodem argumento vitur Cyrillus (2) ad Filii diuinitatem probandam. Gregorius item Nazianzenus haec habet (3): »vt non omnino immobiles (Angelos) sed aegre mobiles existimem ac dicam, mihi persuadet ille ob splendorem Lucifer, qui propter superbiam caligo et effectus est, et nominatur, ac subiectae illi rebelles potestates, quae per boni fugam vitium effecerunt«. Habent his similia Hieronymus (4), Gregorius Magnus (5) Damascenus (6), alii. Clarius tamen omnibus Augustinus loquutus est sub lucis similitudine. Ait enim (7): »lumen quippe verum quod illuminat omnem

Tom. II.

F

»ho-

(1) Epist. CLXL.
(2) Dialog. vi. de Trinit.
(3) Orat. XXXVI.

(4) In Com. in Oseam. (5) In Job.
(6) Lib. II. de Fide Ortod. cap. 3.
(7) Lib. XI. de Ciuit. cap. 9.

»hominem venientem in hunc mundum, hoc illuminat, et omnem
 »Angelum mundum, vt sit lux non in se ipso, sed in Deo; a qua
 »si aueritur Angelus, fit immundus, sicut sunt omnes, qui vocan-
 »tur immundi spiritus; nec iam lux in Domino, sed in se ipsis
 »tenebrae priuati participatione lucis aeternae«. Et alibi (8): »si-
 »mul vt facti sunt, ei a quo facti sunt, amore, cum quo facti
 »sunt, adhaeserunt; eoque sunt isti ab illorum societate discreti,
 »quod hi in eadem voluntate bona manserunt, illi ab ea deficien-
 »do mutati sunt, mala scilicet voluntate, hoc ipso quod a bono de-
 »fecerunt: : ; Et istam bonam voluntatem quis fecerat, nisi ille,
 »qui eos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi
 »adhaerent creauit, simul in eis et condens naturam, et largiens gra-
 »tiam?« Similia habet passim (9).

Ex his Augustini ceterorumque Patrum dictis hoc exurgit argu-
 »mentum: illi proculdubio creati sunt in statu gratiae sanctifican-
 »tis, quorum aliqui a vera vita exciderunt, quique propter super-
 »biam caligo effecti sunt, qui vt primum facti sunt, omnes lux facti
 »sunt, atque bonam voluntatem, seu amorem castum, quo ei, a quo
 »facti sunt, adhaerent, acceperunt: at Angelis ex testimonio Patrum
 »id euenit: in illo ergo statu creati sunt. Accedit robustissimum S. Tho-
 »mae argumentum ex eodem Augustino depromptum. »Sic enim vide-
 »mus, (inquit) (10) quod omnia, quae processu temporis per opus diui-
 »nae prouidentiae creata a Deo operante sunt producta; in prima re-
 »rum conditione producta sunt secundum quassdam seminales ratio-
 »nes, vt Augustinus dicit viii. super Genesim ad lit., sicut arbo-
 »res, et animalia, et alia huiusmodi. Manifestum est autem quod
 »gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem sicut
 »ratio seminalis in natura ad effectum naturalem; vnde I. Ioann. iii.
 »Gratia semen Dei nominatur. Sicut igitur secundum opinionem Au-
 »gustini ponitur, quod statim in prima creatione corporalis creatu-
 »rae, inditae sunt ei seminales rationes omnium naturalium effe-
 »ctuum, ita statim a principio sunt Angeli creati in gratia«.

Praeter istam autem gratiam, quae *gratum faciens* dicitur, ha-
 buisse Angelos in prima sua conditione actualem gratiam, seu vt
 S. Augustinus loquitur, *adiutorium sine quo*, secunda primae ad-
 sectionis pars exhibet. Quae quidem sententia Augustinum et Tho-

(8) In Lib. xii. de Ciuit. cap. 9.

et Tract. in Psalm. cxxxiv.

(9) Lib. de Corrept. et Gratia, c. 11.

(10) Prima Parte, quaest. Lxii. art. 3.

mam, magna haec duo apud Eruditos nomina, patronos nacta est. Ait
 enim Magn. Parens (11): »si autem hoc adiutorium vel Angelo vel ho-
 »mini, quum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis na-
 »tura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet,
 »non vtique sua culpa cecidissent«. Et post pauca (12): »namque
 »vt reciperet bonum gratia non egebat, quia nondum perdidit:
 »vt autem in eo permaneret egebat adiutorio gratiae, sine quo id
 »omnino non posset«. His Augustini dictis accedunt S. Thomae de-
 »monstrationes (13): prima: Angeli aeternam beatitudinem adsequu-
 »ti sunt per sanctum bonae voluntatis, castique amoris vsum: fuit igitur
 »illis opus adiutorio, seu actuali gratia ad sanctum illum vsum;
 »alias neque ad consequendam vitam aeternam simili adiutorio indi-
 »gissent; quod contrariatur Apostolo ad Romanos scribenti: »gra-
 »tia Dei vita aeterna«. Secunda: necessarium est ordinis super-
 »narij auxilium, vt in illud voluntas feratur quod supra naturam positum
 »est, quum eius vires, ac conditionem excedat: in clarum ergo Dei
 »visionem, in qua creatae cuiuscumque mentis vltima atque perfecta
 »beatitudo sita est, Angelus voluntate conuerti non potest, nisi per
 »auxilium gratiae.

Ad Angelorum autem Beatitatem quod adtinet, ea nobis via pro-
 »bata est, quae et Scholae nostrae tueretur opinionem, et Augustini
 »consuleret magisterio. Hac lege ergo dicimus, creatos fuisse Ange-
 »los beatos beatitate tantum naturali, minime supernaturali. Quum enim
 »creati illi sint ita perfecti, vt omni omnino miseria liberi fuerint
 »omnes antequam caderent; beati illi illico fuere naturaliter. Ceterum
 »quum ex eorum numero quidam a felicissimo illo statu cecidissent,
 »indubium est, eos perfecta ac consummata beatitudine superna non
 »fuisse donatos; huius enim status propria stabilitas est, vt vel solo
 »naturae lumine exploratum habuit Tullius scribens (14): »eum qui
 »beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum,
 »non vt paruo metu praeditus sit, sed vt nullo«, ceter.

»Quid ergo? Augustino Magistro Thomas contrarius est? Pe-
 »nes alios iudicium esto. Nobis hoc liceat adnotare, nullibi Magn. Pa-
 »rentem adseruisse Angelos beatos conditos esse beatitate illa superna-
 »turali, quae plenitudinem felicitatis includeret; quae nostro quidem
 »iudicio, eadem illa beatitudo est, quae consummata dicitur; sed vbi-

F 2

cum-

(11) De Corrept. et Gratia, cap. 11.

(13) Prima Parte, quaest. Lxii. art. 2.

(12) Ibidem.

(14) Lib. v. Tuscul. Quaest.

cumque, siue de Angelis, siue de primo homine loquutus est, beatos illos in primo instanti dicit beatitudine quadam supernaturali inchoata (sic enim dicitur) prout constituti recti per gratiam, et absque molestia praesentis boni delectatione fruenter; at non eos adserit immutabili bono taliter adhaerentes, vt certissime norint, se amplius cadere non posse. Pluries hanc doctrinam Augustinus expressit: nullibi tamen expressius quam de Correptione et Gratia loquens (15): ait quidem: »erat adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per »liberum arbitrium in veritate sterissent, donec istam summae bea- »titudinis plenitudinem tamquam praemium ipsius permansionis ac- »ciperent, id est, vt magna per Spiritum Sanctum data abundantia »caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, et hoc de se cer- »tissime nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: sed »quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed ta- »men beatitudine sine vlllo vitio fruebantur.«

Neque aduersus doctrinam istam facit, quod ex Augustino ipso res omnes vnico temporis momento productae, et sex dies in Genesi enumerati vnum sint temporis instans, qui deinceps in sex dies secundum vespertinam ac matutinam Angelorum cognitionem diuidantur, ex quibus postrema quum sit cognitio creaturarum in Verbo, haberi haud potuit absque beatitudine perfecta et consummata. Non inquam facit: cognitio enim illa matutina, quum sit creaturarum contemplatio relate in Deum, in malis Angelis locum non habuit, qui nec in veritate steterunt, nec in Dei laudem et amorem sunt conuersi; sed vnice in Angelis sanctis: verum haec praecessit plenitudinem ipsam beatitudinis, quatenus recto ordini caritatis redita est tamquam merces plenitudo scientiae, quae ex Augustini sententia ad beatitudinem consummatam spectat. At ista haec pro nostra erga Augustinali doctrinam reuerentiae testimonio dicta sunt.

COROLLARIA.

Quam vero immature Vazquesius ex idea perfectae, consummataeque beatitudinis intulerit, Angelos nec beatitudinem naturalem in sui productione recepisse, nemo vnus est qui ex dictis non intelligat. Habet hic vnus Vazquesius contradicentem Theologorum omnium coetum amplissimum, et Augustinensium, et Thomistarum, et Scotistarum. Et merito quidem: nam scire Angelos, compertumque in

(15) Cap. x.

primo suae creationis instanti habere, numquam se miseros fore, solius, quae supra naturam est, beatitudinis, eiusdemque vere vltimae, et consummatae dos est. Hinc, quum hac ab initio non fuerint donati, nec certissime illi scirent se amplius non esse casuros; non fuisset eos consummate beatos planum, exploratumque est: sed fuere naturali beatitudine praediti; quae omnem miseriae timorem non abigit vel etiam supernaturali illa inchoata, qua praesentis boni delectatione absque molestia fruerentur.

Neque maturius argumentatur ille inferens, Daemones naturaliter beatos esse, ex quo Angeli naturaliter beati conditi sint. Quum enim a Deo vt gratiae auctore peccando deuiarint, ab eodem, vt naturae auctore deuiare necessum fuit, ab ea qua Deum prae omnibus diligebant, voluntatis rectitudine excident: hinc naturalem beatitudinem, quae et mentis contemplationem, et rectitudinem illam complectitur, per peccatum amiserunt.

CAPVT VI.

Opinionum nobis aduersantium fundamentis occurritur.

Fuit Veterum Scholasticorum opinio, Magistri videlicet Sententiarum, Ricardi, Bonauenturae, Alensis, Scoti, aliorumque, Angelos absque illa gratia, quae ad ornatum confertur, animaeque sanctificationem, quaeque habitualis in Scholis dicitur, fuisse productos. Huic opinioni videntur suffragari I. Sacrae Scripturae: Iob siquidem iv. scriptum est: *et in Angelis suis reperit prauitatem*. Vbi in Hebraeo legitur: *et in Angelis suis non posuit lucem*. II. Patres: Augustinus quidem, cuius testimonium pro sententia gratiam sanctificantem in Angelis ab initio ipso admittente adeo confidenter productum, et inculcatum est, sese explicans, de Genes. ad lit. scribens (1), ait: angelicam naturam primo informiter creatam fuisse, postmodum vero firmatam esse, lucemque adpellatam. Gregorius deinde in Moralibus, scribit (2): Angelum malum creatum vtique fuisse cum capacitate caritatis, qua repleri posset, si voluisset, non autem cum caritatis ornamento et signaculo. Accedit Ioannis Papae cap. *Visis litteris* expressa sententia (3): »dolet, inquit, Diabolus satis, »et erubescit caritatem, quam in Coelis nequiuisset habere, homines

(1) Lib. ii. cap. 1. (2) Lib. xxxii. cap. 18. (3) Caus. xvi. quaest. 2.

» constantes ex lutea materia, tenere in terra«. III. Ratio suffragatur: in Angelis siquidem ostendere Deus voluit quid absque gratia liberum arbitrium posset, vt ex Augustino didicimus (4): at ii in quibus hoc Deus ostendere voluit, in gratia certe non fuere creati. Praeterea: Angeli non receperunt in prima sui creatione cum natura gloriam: nec ergo cum natura gratiam receperunt, quae inter naturam et gloriam quid medium est.

His respondendum: Scripturae quidem testimonio nihil euincit, etiamsi textus hebraeus retineatur: admittit enim ille hanc expositionem: *et Angelis non reuelauit abscondita consilii sui*. Nos tamen ei Vulgatae nostrae anteponimus lectionem.

Patrum testimonia sic interpretari patiuntur. Augustini quidem: statum quem per creationem habuerunt Angeli valde imperfectum fuisse cum gloriae statu comparatum, non sic cum gratiae status: quod in idem redit, quamuis Angelus gratiam habuerit viatori conuenientem, non habuit tamen perfectam illam gratiam, quae conuenit possessori. Haec solutio ex Augustino ipso deriuatur (5): »erat autem adhuc, ait, quod eorum adderetur beatitudini, id est, vt » magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei, eadem » re ulterius omnino non possent«. Clarius insuper se ipsum interpretatur, quum scribit (6), absque vilo temporis interuallo Coelum ac lucem, naturam et gratiam habuisse principium; fuisse tamen haec in Angelorum cognitione ordine quodam, adeo vt vnum alterum praecessisset: de prioritare igitur naturae et rationis intelligendus est.

Priore harum responsionum Gregorius exponendus est, atque de caritate consummata, vel de iustitia permanente intelligendus.

Ioannes Papa id solum dicere voluit, Diabolum, quam in Coelo caritatem et gratiam habuit, sponte sua deseruisse peccando: idem quum sit habere, ac tenere.

Quam vero ex Augustini verbis efformare contendunt aduersarii rationem, parum Augustino consonam agnoscimus. Eo quidem loci nihil aliud S. Doctor intendit, quam discrimen gratiam actualem, qua innocens creatura indiguit ad bonum operandum inter et gratiam, qua creaturae lapsae opus est ad idem bonum operandum; vt

(4) In Lib. de Corrept. et Gratiâ,
cap. 10.

(5) Ubi supra.

(6) In eodem opere, Lib. 11. cap. 12.

ex his quae superaddit plene intelligitur. Ibi vero de gratia sanctificante, neque verbum.

Vltimum nimis leue illud est. Gloria enim finis quum sit, et vt merces et brauium conferatur, naturam, operationem, meritum quoque consequatur opus est: gratia e contrario, quum principium bene agendi, et operandi sit, vna cum natura a Deo tribui exposulabat; maxime quum eo fine rationalem creaturam condiderit, vt recte operaretur.

Aduersus alteram propositionem, qua naturalis Angelorum beatitudo adseritur, haec potissimum obiciuntur: I: Angeli cum beatitudine naturali creati neuiquam potuissent mereri; nulla siquidem creatura in termino constituta mereri potest: huiusmodi vero est beatitudo respectu Angeli, ac cuiuscumque intellectualis creaturae. II: Ex quo Deus perfectas condiderit rationales creaturas, haud debuit illis beatitudinem aliam quam conferre; sed tantum facultatem, qua per vires proprias illam adsequerentur: nam propriis meritis consequi beatitudinem maior perfectio absdubio est, quam illam gratis, et creationis dono habere. III: Angeli certi numquam fuere, se miseros non esse futuros: non enim sciebant, an essent perseueraturi in eo statu in quo conditi fuerant: at ex hoc sequitur eos beatos in primo instanti non fuisse, etiam naturali beatitudine: illa enim incertitudo, quum animum excruciet, non leuis miseria est, quae proinde cum beatitudine conciliari nullo modo potest.

Sed respondetur ad singula. Ad primum negando, naturalem beatitudinem terminum esse simpliciter creaturae rationalis, in quo tollitur indifferentia, et libertas ad meritum, vel demeritum: est autem terminus, vt loquuntur, secundum quid, praeter quem potest rationalis creatura ulterius progredi, perfectionemque maiorem, quae ad gratiam et gloriam pertineat, adsequi; in qua demum, si nequeat ultra perfici, terminus constitutus est.

Secundi argumenti propositio maior falsa est. Maxima etenim perfectio ea est, quae Dei perfectionibus adsimilatur maxime; id porro quod est naturalem beatitudinem ex creatione habere, ac sine meritis comparasse, cum Dei beatitudine nullo merito adquisita, magis conuenit, quam posse propriis meritis beatitudinem adquirere, licet haud minima rationalis creaturae perfectio ista sit.

Tertio varie occurrimus: dicimus primo, Angelos certo cognouisse, se per liberum arbitrium gratia adiutum, quam praesentem

experiebantur, quamque sciebant sibi non defuturam, posse, si velent, in statu in quo conditi sunt, persecrari. Nam vt supra ex Augustino protulimus: »si hoc adiutorium vel Angelo, vel homini, »cum primum facti sunt, defuisset . . . non vtique sua culpa ceci- »dissent«. Vtremus dicimus, quod certitudo, inamissibilitas, et exclusio cuiuscumque timoris spectat solum ad beatitudinem consummatam, quae fuit merces perseuerantiae Angelorum sanctorum: sed haec ad naturalem beatitudinem necessaria non sunt; quum gratiae beneficium summum illa sint. Tandem dicimus, habuisse reuera Angelos boni praesentis delectationem absque pressura vlla, eo quod in eorum arbitrio erat beatitudinem illam sibi perpetuam reddere; quantumuis de futura atque perenni sua beatitudine dubii fuerint, et incerti: haec ex multis.

CAPVT VII.

Angelos simplices esse spiritus defendit.

Angeli sunt spirituales, et incorporei.

3A.

Sic Scripturae saepe saepius spiritus eos nominantes. Psalm. enim ciii. habetur: »qui fecit Angelos suos spiritus«: quem locum Apostolus ad Hebraeos i. exponit de Angelis, dicens: »et ad Angelos »quidem dixit: qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos »flammam ignis«. Et iterum: »nonne omnes sunt administratorii »spiritus? Ad Ephes. vi. ait: »non est nobis collectatio aduer- »sus carnem, et sanguinem, sed aduersus principes, et potesta- »tes, aduersus mundi rectores, tenebrarum harum; contra spiritua- »lia nequitiæ in coelestibus«. Matth. deinde Cap. xii. legitur: »Quum immundus spiritus exierit ab homine . . . vadit, et adsumit »alios septem spiritus nequiores se«.

Ex Patribus id ipsum probatur: Martyr Ignatius (1) Angelos vocat *incorporeas naturas*. Basilius (2) vt probet, omnem substantiam creatam mutationi obnoxiam esse, argumentatur ex notionibus substantiae corporeae, et incorporeae, ac dicit, Angelos huius esse, hoc est substantiae incorporeae. Eusebius (3) Angelos nominat »incor-

(1) In Epist. ad Trall.

(2) Lib. de Spir. Sanct. cap. 1.

(3) In Dem. Euang. cap. 1.

»reas quasdam et intelligentes, ac diuinas virtutes; Angelos et Archangelos materia carentes, et puros omnino spiritus«. Ioannes vero Chrysostomus variis in locis eodem nomine designat (4). Theodoretus similiter (5) vbi probat, Dei imaginem non in eo consistere, quod in anima sub aspectum non cadit: »alioquin, inquit, potius imagines Dei vocarentur Angeli, et Archangeli, et omnes incorporeae, sanctaeque naturae, vt pote corporibus vacuae, et sine vlla mixtione, minime spectabiles«. Ioann. Damascenus (6) Angelum definit: »substantiam intelligentem, materiae atque corporis »expertem; tametsi cum Deo comparati materiales et corporei sint »habendi«.

Graecis Patribus adhaerent Latini. Marius Victorinus (7) »Archangelos, Angelos, Thronos, glorias, ceteraque, quae supra mundum sunt, incorporea vocat«. Lactantius (8) item Angelis, et Daemonibus corpus omne detrahit, dum quaerit, quomodo apimae corporis expertes pati possint. Ait enim: »primum igitur dicimus, tantam esse Dei potestatem, vt etiam incorporalia comprehendat, et quemadmodum voluerit, efficiat. Nam et Angeli Deum metuunt, quia castigari ab eo possunt innarrabili quodam modo; et Daemones reformidant Deum, quia torquentur ab eo, ac puniuntur«. Hieronymus Origenem refellit (9), quod docuisset, »Daemones ob delicta aëreis corporibus esse vestitos«. Leo Magnus scribit (10), »fidem veram, quae est catholica, omnium creaturarum, siue spiritualium, siue corporearum, bonam confiteri substantiam«. Greg. Magnus (11) Angelos cuiusque corporis expertes esse adserit: »Angelus namque, ait, solummodo spiritus est: homo vero et spiritus est, et caro«.

Praeter hunc autem Patrum, quum Graecorum, tum Latinorum consensum, multum etiam ad assertionem istam confirmandam facit Lateranensis Concilii IV. declaratio his verbis expressa (12): »creator omnium, qui sua omnipotentis virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spirituales et corporales, Angelicam videlicet et humanam; ac deinde humanam

Tom. II.

G

»qua-

(4) Homil. xii. in Genes. 1. in Matth. alibi.

(5) Quaest. xx. in Genes.

(6) Lib. ii. de Fide, cap. 3.

(7) Lib. iv. adu. Arium.

(8) In Lib. vii. cap. 21.

(9) In Epist. ad Auticum.

(10) In Epist. ad Torib. cap. 6.

(11) In iv. Moralium, cap. 19.

(12) Cap. 1. de Fide Catholica.

quasi communem, ex spiritu scilicet et corpore constitutam. Ad quae sane Concilii verba si quis tantisper animum vertat, illico percipiet, Patribus illis persuasum omnino fuisse, Angelicam et mundanam, spirituales et corporalem creaturam, duo esse extrema, inter quae locum medium obtinet homo, aliquid ab utroque participans, et cum utroque aliqua sui parte conueniens, corpore nempe, cum corporali et mundana; animo vero cum Angelica et spiritali creatura: extremis minime inter se communicantibus.

Hinc factum arbitramur, Scholae Theologos omnes, quorquor post Synodum Lateranensem scripserunt, in eandem sententiam abiisse, vno Caetano excepto, qui de malis Angelis loquens, ex spiritu, et subtili quodam corpore eos compositos existimat.

Accedunt theologicæ rationes: quantumvis enim corpora Angelorum tenuissima ponantur, et minima, vix concipi potest, quomodo integra Daemonum legio in vnius obsessi corpore esse possit quemadmodum fuisse dicitur Lucae viii.

Deinde: si Angeli corpus haberent, aërem, quem pertranseunt, maxima celeritate diuiderent: quod quidem non sine magno sonitu, ac strepitu fieret: at numquam hos percipimus, etiamsi frequentissime Angeli moueantur: non ergo corpus habent.

Similiter: Deus mundum condidit perfectissimum: sicut igitur res pure corporales condidit, simul et hominem ex spiritu et corpore constantem, condidit quoque substantias incorporeas et spirituales.

Tandem: quum subtile inter et crassum nulla specifica intercedat differentia; Angeli corpora habentes ab hominibus specie nullatenus differrent. Haec ex multis.

CAPVT VIII.

Oppositæ sententiæ fundamentis satisfit.

Variè autem ac multipliciter, quam stabilimus sententiam oppugnari videmus. Primo siquidem contra illam obicitur Scripturarum firmissima auctoritas, quae verbis perspicuis adserunt, Angelos cum mulieribus quandoque commixtos, ex eis filios genuisse. Legimus enim in cap. 6. Genesios. »Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas
»ele-

»elegerant. Vbi filiorum Dei nomine Angelos intelligi plures ex codicibus septuaginta Interpretum testantur, *Angelos Dei* legentes. Enoch quoque liber similiter habet: qui tamen, etiamsi inter canonicos non sit adnumeratus, non leuis ponderis censendus est, praesertim quum ex eo Iudas Apostolus testimonium adsumperit, vt in sua canonica Epistola legitur.

Secundo ex Patrum auctoritate aduersus eandem argumentari potest: ex illis siquidem bene multos fuisse, qui Angelos corporatos dicerent, boni nominis Theologis indubium habetur. Quibus non nisi importune Vellosili benignissima interpretatio adcommodatur, aientis, comparate ad Deum taliter Patres sensisse, vel quatenus certis corporibus Angeli adplicantur vt praesint (1). Apertiora sunt quorundam testimonia, quam vt optimum hoc consilium patiantur. Iustinus enim (2), Athenagoras (3), Clemens Alexandrinus (4), Tertullianus (5), Lactantius (6), ac fortassis Ambrosius (7), disertissime scripserunt, eos in Coelo ali, vescique, nobis quidem ignoto, sed tamen materiali cibo, quem Scripturae Angelorum panem vocant. Quos vero huic inferiori mundo Deus praeposuit, sese cum mulieribus commiscuisse, ex eisque Daemones genuisse.

Basilius deinde (8), Cyrillus Alexandrinus (9), Methodius Martyr (10), Origenes (11), aliique Graecorum, licet negarint commercium illud Angelorum cum mulieribus, dixerunt tamen, Angelos corpora subtilissima, atque in omnem motum flexibilia habere. Quam Graecorum sententiam tenere etiam ex Latinis, memoratus Tertullianus (12), Augustinus (13), Chrysologus (14), aliique plurimi.

Tertio arguitur VII. Generalis Synodi, quae Nicaena II. est, auctoritate. Definitum enim in ea fuit, Angelos esse pingendos, quoniam corporei sunt: nam quum perlectus Dialogus Ioannis Thessalonicensis fuisset, Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus ait: »osten-

G 2

»dit

- (1) Apud Bertium, Lib. x. cap. 2.
- (2) In Dialogo cum Tryphone.
- (3) Initio Apologiae.
- (4) Lib. viii. Stromat. cap. 1.
- (5) Lib. de cultu foemin. cap. 10.
- (6) Inscit. Lib. ii. cap. 14.
- (7) In Apol. David. cap. 1.
- (8) In Lib. de Spir. S. cap. 10.
- (9) Lib. ix. in Ioann.

- (10) Apud Phot. vt Petau. notat.
- (11) In 1. de princ. cap. 6.
- (12) In Lib. de carne Christi, cap. 6.
- (13) Lib. ii. de Trinit. cap. 7. xxi. de Ciuit. et in Psalm. lxxxv. et alibi saepius.
- (14) Serm. lxi. de Daemionibus loquens.